



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, M. DC. LXXX.

125. An Clericus, vt gaudeat priuilegio fori, debeat portare non solum
pallium, sed etiam togam vsque ad talos? Ex part. 4. tr. 1. res. 91.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76442](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76442)

sine habitu & tonsura committuntur, & delinquentes reassuntur habitu ut foro gaudeant, putat ut sufficeret si tempore capture in tonsura & clericaliibus vestibus induti reperiantur. Ita ille.

2. Sed contrariam sententiam tenendam esse puto. Dico igitur cum Paulo Squillante de privileg. Cleric. cap. 7. dub. 1. num. 10. quod carens tonsura, vel habitu clericali tempore delicti, vel captura, non amittit privilegium fori si alias erat solitus deferre, & ita decisum fuisse in sacro Consilio Neapolitano testatur, quod etiam ante ipsum docuerat Regens Tapia in constit. Regni de personis, num. 57. Riccius in praxi, tom. 1. resolut. 530. n. 6. Grassus de effect. Cleric. effect. 1. num. 910. Genuensis in praxi cap. 38. num. 6. in fine. Antonius de Marinis resolut. quotid. cap. 50. num. 3. & alij; & ego ipse hæc omnia docui in part. 1. tract. 2. resolut. 33. ubi ex Bonacina & Capiblanco adduxi pro hac sententia declarationes Cardinalium. Vnde, ut dixi, Clericus etiam si dimisso habitu delictum commiserit, & etiam sine habitu à iudice laico fuerit captus, si alias in tonsura & habitu incesserit, remittendus est ad iudicem Ecclesiasticum.

Quæ hic est Ref. antecedens. Sed lege etiã alias eius notationum, & ex Ref. seq. §. 2. ad medium.

Sup. hoc infra in Ref. 148.

3. Notandum est hic obiter quod si aliquis Clericus dimississet habitum clericalem, & illum reassumeret, etiam sine licentia Episcopi, gauderet privilegio fori, etiam si in Synodo hoc fieri prohibitum esset Clericis. Ita Squillante de privileg. Cleric. c. 6. dub. 1. n. 19. Riccius part. 2. decis. 167. & alij.

4. Nota secundò, quod fori privilegio gaudet Clericus incedens in habitu & tonsura descriptis in Catalogo Clericorum, qui in Synodo dicecesana obedientiam præstitit Ordinario, & per paucas vires in choro & processionibus interfuit, attentis circumstantiis, quamvis alicui Ecclesiæ de mandato Episcopi non insecuiar, vel beneficium Ecclesiasticum non habeat. Ita determinavit sacra Congregatio Concilij in Nullius, die 28. Martij anno 1628.

Sup. hoc infra in Ref. 135. §. 2. & in Ref. 138. §. etiam 2.

RESOL. CXXXIII.

An Clericus gaudeat privilegio fori, & sit à laica iurisdictione exemptus, si tantum deferat habitum, & non Tonsuram: vel è contrariò?

Et an Clericus gaudeat privilegio fori si tempore capture inueniatur sine vestibus Clericalibus, dummodo tempore delicti illas gestauerit? Ex part. 1. tract. 2. Resol. 33. alias 32.

Sup. hoc in Ref. seq.

§. 1. Negatiuè respondent Bellettus in disquis. cler. p. 1. tit. 3. §. 8. n. 7, & Riccius part. 4. decis. 154. n. 8. qui notant, ita declarasse Sacram Cardinalium Congregationem. Et ratio est: quia Concilium Tridentinum loquitur copulatiuè, nempe, ut Clerici deferant habitum, & tonsuram, & alicui Ecclesiæ deseruiant.

2. Non reticebo tamen Marium Antonium Maceratensem, Vicarium Generalem Cardinalis Borromæi, contrarium asserere in suis variis resolutionibus lib. 3. resolut. 48. n. 5. ubi tenet, Clericum inuentum sine habitu, sed cum tonsura, vel cum habitu, & sine tonsura, gaudere privilegio fori. Et Capiblanco de offic. Bar. pag. 8. cap. 3. n. 8. putat, dimissionem tonsuræ non esse tantæ solemnitatis, si cætera concurrant: & citat Barbosam. Notandum est etiam contra Gutierrez 99. canon. lib. 1. cap. 12. num. 9. Mexiam in prag.

Quoad hoc lege supra doctrinam §. 1. Ref. 121. & ex Ref.

taxa panis, conclus. 1. num. 31. & alios, Clericum gaudere privilegio fori si tempore capture inueniatur sine vestibus clericatus, dummodo tempore delicti illas gestauerit. Et ita declarasse Sacram Cardinalium

Congregationem anno 1586. notauit Marius Antoninus ubi supra lib. 3. resolut. 48. num. 7. & docet &c. Sanchez de matrim. tom. 2. lib. 7. disp. 46. num. 10. qui multos alios citat. Et ratio est: quia ad gaudendum privilegio fori, non attenditur, nisi tempus commissi delicti: parum ergo refert, si tempore capture Clericus sine habitu inueniatur; si tamen tempore quo commissit delictum illum gestauerit.

RESOL. CXXIV.

An Clericus incedens in habitu, si omittat portare Tonsuram, perdat privilegia fori? Ex part. 4. tract. 1. Ref. 93.

§. 1. Affirmatiuè videtur respondendum ex Concilio Tridentino, sess. 23. cap. 6. ubi statuitur, quod ut privilegio fori potiri possint Clerici in minoribus, debent deferre habitum & tonsuram, & ita docet Barbofa de potestate Episcopi, part. 2. alleg. 12. num. 19. Riccius tom. 4. decis. 154. Bellettus in disquis. Cleric. part. 1. tit. de favore Clericorum personali, §. 8. n. 7. & alij penes Barbosam loco cit. quibus adde Ganantum in enchirid. Episc. ver. fori privilegium, n. 8.

2. Sed contrariam sententiam docet Marius Antoninus variar. resolut. lib. 3. resolut. 48. num. 9. & 10. Capiblanco de officio. Bavonum tom. 1. pragmat. 3. part. 3. num. 29. & Eliseus Danza in pagna DD. cap. 1. de Clericis, num. 15. ubi asserunt quod dicti Clerici, si neglexerint portare tonsuram, non amittunt privilegium fori, quia tonsura non est tantæ solemnitatis. Vide etiam Scacciam de iudicis tom. 1. lib. 1. cap. 11. num. 9. & Farinacium quest. 8. num. 65: asserentes in Clericis non coniugatis ut gaudeant privilegio fori, sufficere alterum istorum, sc. ut deferant habitum, vel deferant tonsuram. Et ad verba Concilij Tridentini respondet Marius Antoninus ubi supra, quod licet loquatur per copulam &, quæ requirit concursum copularum; tamen in cap. si iudex, de sentent. excommunicat. in 6. legitur copula &, citæ dictam delationem, ut legitur in Concilio Tridentino, & tamen de iure communi sufficit delatio alterius; & Concilium Tridentinum in dicto loco non videtur inducere correctionem iuris communis: ergo, &c. Vnde ego huius dubij resolutionem remitto ad sacram Congregationem.

RESOL. CXXV.

An Clericus, ut gaudeat privilegio fori, debeat portare non solum pallium, sed etiam togam usque ad talos? Ex part. 4. tract. 1. Ref. 91.

§. 1. Affirmatiuam sententiam tenebat in facti contingentia quidam Iuriscoonsultus, & adducebat Bullam Sixti V. & hoc etiam docet Moscosus de maiest. milit. Ecclesiæ, lib. 1. part. 2. c. 2. Venerus in exam. Episcop. lib. 5. cap. 5. n. 2. ubi asserunt tunicam Clericorum esse debere nigram & talarem, & hanc sententiam docet etiam Capolla consil. 11. n. 30.

2. Sed ego tunc contrariam sententiam docui cum Ioanne Maria Nouario in nouo iure Pontificio conclus. 117. n. 6. ubi sic ait: Dicendum est Clericum in habitu & tonsura incedere, quando fert pallium talare, licet toga non tangat genu, & consequenter debet privilegio fori frui, tanquam satisfaciens dispositioni Concilij Tridentini sess. 23. c. 6. ubi cautum est Clericos in minoribus teneri deferre habitum & tonsuram. Ita ille. Vide etiam Antonium de

Ballis

De Immunit. Eccles. Resol. CXXVI. &c. 159

Ballis *tract. var. lib. 5. pragmat. 1. tit. 10. n. 53.* & hanc sententiam in terminis dictae Bullae Sixti 5. quam ille Iurifconsultus afferebat, tenet Garcia de beneficiis tom. 2. p. 7. c. 1. n. 23. & alij penes ipsium, asserentes Clericis non esse necessarium portare duas vestes longas, sed quod vna sufficiat, vel tunica, vel pallium. Verum circa praesentem quaestionem communem doctrinam adducit Farinacius q. 8. n. 69. & Scaccia de iudiciis tom. 1. lib. 1. c. 1. n. 84.

RESOL. CXXVI.

Clericus qualem habitum deferre debeat, ut gaudeat privilegio fori?
Et si controuertatur, an habitus, cum quo inuentus est Clericus, sit Clericalis, an inquam, hoc habitus cognitio ad Ecclesiasticum pertineat, & dum hoc coram iudice Ecclesiastico pendet, debeat iudex laicus supersedere, & aliter faciens immunitatem Ecclesiasticam infringat? Ex part. 3. tract. 1. Ref. 63.

^{Sup. hoc in Ref. praeterita, & breuiter in fine Ref. seq.}
^{Sup. hoc in Ref. seq. & in aliis eius primae annotationis.}
^{Alibi in Ref. seq. ad lib. 7.}
Respondeo Clericos circa habitum se locorum consuetudini accommodare, ut tradit Ambrosius de immunit. cap. 23. num. 13. ego vero absolute loquendo, illum privilegio fori gaudere arbitror, qui eo vitur vestium genere, ut si a populo videatur, clericus iudicetur, si autem controuertatur, an habitus cum quo inuentus est clericus, sit clericalis, hanc habitus cognitionem ad Ecclesiasticum iudicem pertinere, quidquid aliqui asserant, & pessime in praxim deducunt aliqui iudices, nisi auctoritate Iul. Clar. lib. 9. q. 36. n. 11. & Masc. cod. 961. n. 4. & aduertat iudex laicus, quod dum haec coram iudice Ecclesiastico pendet, debet supersedere, ut nos alibi etiam docuimus, & aliter faciens immunitatem Ecclesiasticam infringit, licet nonnulli apud Carolum de Grassis de effectibus clericatus, effect. 1. n. 1257. & seq. oppositum sentire videantur, sed male, quia fieri potest, ut in tali casu iudex laicus exerceat iurisdictionem in personam exemptam, & quia sequeretur elusoriam esse cognitionem iudicis Ecclesiastici, & haec omnia docet, & probat Bonacina in Bull. Can. tom. 3. disp. 1. q. 16. sect. 1. punct. 6. num. 30. 31. & 32. cum aliis eo immunit.

RESOL. CXXVII.

Utrum iudex laicus possit in casu contingenti cognoscere de Clericatu, vel habitu?
Et an si Clericus captus incedat in habitu laicali, an tunc possit detineri per iudicem saecularem, donec iudex Ecclesiasticus ferat declarationem, & dum pendet talis cognitio, iudex saecularis debet supersedere a progressu in causa delicti?
Et quid, si in dicto casu fama esset publica, & notoria, quod ille esset Clericus, quamuis inuentus sit in habitu laicali, an in tali casu statim remittendus sit ad iudicem Ecclesiasticum, & ante cognitionem Clericatus?
Et quaenam vestes censendae sint Clericales in Clericis prima tonsura, & initiatis minoribus Ordinibus? Ex part. 1. tract. 2. Ref. 28. alia 27.

^{Supra hoc quoad habitum supra in Ref. 126. ad l. n. 6. verum habitus, & in Ref. 127. & inf. in duab. Ref. seqq. & quoad cognitionem de Clericatu in Ref. 2. huius not. & superius in tr. 2. Ref. 120. §. 1. cursum post medium.}
^{Supra hoc in Ref. 1. not. praeterita, post medium.}
^{Supra hoc in duabus praecedentibus Ref. in principio.}
Multi Regij ad Iudicem saecularem spectare hanc cognitionem contendunt, & sic olim male obseruabatur in nostra Sicilia, & hodie obseruatur multis in locis. Et ita docent Borell. de protect. Reg. Cath. c. 7. n. 308. Guido Papa q. 1. 38. de protect. Reg. Cath. c. 7. n. 308. & alij apud Couall. Grat. discept. forens. p. 2. c. 130. n. 30. & alij apud Couall. tract. de cogniti. per viam violentiam §. in Praem. c. 8. n. 39. Tom. I. X.

2. Sed absolute contrariam sententiam amplectendam esse puro ex cap. si Iudex laicus, de sentent. excomm. in 6. Et ita docent communiter Doctores Couarr. pract. 99. c. 33. Zerola in praxi Episc. p. 1. vers. Clericus n. 3. Salzedus in pract. crim. Diaz c. 62. n. 1. Marius Antoninus lib. 3. ref. 48. Ioan. de la Cruz in directo conscient. p. 2. de Sacram. Ordinis q. 5. dub. 8. concl. 1. Molina de instit. tom. 4. tract. 3. disp. 49. n. 6. & 11. Layman in Theol. mor. lib. 4. tract. 9. cap. 7. n. 6. Cuallos ubi supr. tractat. de cognitione, &c. p. 2. q. 44. num. 1. Itaque coram Iudice Ecclesiastico de clericatu, & habitu habenda est discussio, & cognitio, citatis tamen Iudice, & Fisco saecularis Curiae: & postquam Iudex Ecclesiasticus, declarauit N. Clericum gaudere privilegio fori, petenda est remissio cum intimatio- ne dictae declarationis iuxta cap. Index cit. quae quidem remissio a Iudice saeculari debet fieri sine Clerici dedecore, ut obseruat Marius Antonius ubi supra n. 2. & infra certum terminum, nempe, viginti horarum; alias saecularis Iudex dictum Clericum non remittens, ultra praedictum tempus ex d. cap. Index in excommunicationem incurreret.

3. Nota vero, quod si captus incedebat in habitu laicali, tunc potest detineri per Iudicem saecularem, donec Iudex Ecclesiasticus ferat declarationem; & dum pendet talis cognitio, Iudex saecularis debet supersedere a progressu in casu delicti. Nota etiam, quod si Clericus fuerit comprehensus in habitu laicali, & fama esset publica, & notoria, quod ille esset Clericus, vtrique in tali casu remittendus est statim ad Iudicem Ecclesiasticum, & ante cognitionem clericatus. Quomodo autem probetur clericatus, vide Belletum in disquis. cler. p. 1. tit. 3. §. 14. n. 10. Quae autem vestes censendae sint clericales, in Clericis prima tonsura, & initiatis minoribus Ordinibus, vide Bonac. de legib. disp. 10. q. 2. punct. 1. §. 4. nu. 17. Couar. pract. 99. cap. 31. num. 7. & Iul. Clar. lib. 5. sent. 15. vlt. q. 36. n. 13. cum aliis. Ambrosin. de immunit. Eccles. cap. 23.

RESOL. CXXVIII.

An iudex laicus possit cognoscere de Clericatu, vel de habitu? Ex part. 3. tract. 1. Ref. 15.

Afirmatiue mordicus respondent aliqui, & ita obseruatur in Lusitania teste Valasco tom. 1. alleg. 44. n. 10. & 12. in Gallia teste Rebuffo ad l. Gallia tom. 1. tit. de literis obligat. art. 11. glossa 3. n. 15. in Hispania, teste Couarrugia pract. 99. c. 33. n. 168. in Regno Neapolitano, teste Borello in sum omnium dec. tit. 44. de cit. n. 425. & ratio est, quia huiusmodi quaestio facti est, & in facto consistit, cuius cognitio ab omni iuris spiritualis cognitione remota est; & ita hanc sententiam praeter Doctores citatos tenent Salgado de protect. Regia tom. 2. p. 4. c. 14. num. 81. 82. & 85. Pereira tract. de manu regia in concordatis D. Ioan. 1. art. 9. n. 183. & in concord. 1. Regis D. Dimis art. 13. num. 62. Rupellanus lib. 4. instit. forens. Francus dec. 329. num. 9. & alij.

2. Sed ego in tract. 1. part. 1. resol. 27. de immunitate Eccles. contrariam sententiam tenui, nec aliter tenendum est, & contrarium facientes in excommunicationem incurrunt; & hoc determinatum a Bonif. VIII in cap. Index, de sent. excomm. in 6. & hanc sententiam tenent DD. quos citat, & sequitur doctus Barbosa ubi infra n. 2. quibus ego addo Cenedum in 99. Canon. q. 4. n. 32. Belletum in disquis. cler. p. 1. tit. de favore clericorum personali §. 14. n. 4. D. Carolum de Grassis de effectibus Cleric. effect. 1. n. 1162. Bobadillam

gnitionem de Clericatu in Ref. seq. & superius in tr. 1. Ref. 120. §. 1. post med

Sup. hoc in Ref. 1. not. praeterita, post mediu.

Sup. hoc in duabus praecedentibus Ref. in principio.

Supra hoc quoad habitum supra in Ref. 126. ad l. n. 6. verum habitus, & in Ref. 127. & inf. in duab. Ref. seqq. & quoad cognitionem de Clericatu in Ref. 2. huius not. & superius in tr. 2. Ref. 120. §. 1. cursum post medium.